

fluentiam a prima; sed ipsamet est principium agendi: vel est sensus, *causam secundam non agere nisi prima coagat*; et hunc sensum approbat quoad rem nostram pertinet; improbat autem illationem, de qua nunc non tractamus. Ex quibus constat de sententia hujus auctoris causam primam concurrere concursu concomitante, hoc enim est coagere, non tamen prævio, quia non admittit præviam influentiam in causam.

10. *Almainus*. — Nono, tenet hanc sententiam Almainus, tractat. 1 Moral., cap. 1, ubi, proposito argumento contra libertatem, quia concursus Dei est unum ex necessariis ad agendum, et, illo posito, *non potest voluntas non agere*, respondet ex sententia Dionysii, in 2 sentent., concursus non esse ex præviis, seu prærequisitis ad agendum, sed ex concomitantibus, seu simul se habentibus; quam responsionem ipse approbat, addens etiam ipsum velle, quo vult Deus concurrere cum voluntate in causando, non esse prævium, sed simul se habens, quod infra nos explicabimus. Alia vero responsio, quam ibi addit, parum quidem probabilis est, ut in libro 5 videbimus.

11. *Andreas de Castro-Novo*. — Decimo, est in eadem sententia Andreas de Castro-Novo in 1, distinct. 22, quæst. 5, art. 1, ad argumenta contra tertiam conclusionem, in qua dixerat Deum, in aliquo vero sensu, prius natura agere quam secundam causam. Ad solvendam autem objectionem, subjungit dici posse causam primam prius natura agere, etiamsi causa secunda causare incipiens non recipiat aliquid noviter a causa prima, ex eo quod incipiat causare: atque adeo causam secundam causare non sit novus effectus productus a prima causa, distinctus ab effectu communi utriusque causæ, quia nimirum ad illam prioritatem naturæ sufficit quod causa secunda pendeat a prima in essendo, et in causando, ita ut agere non possit nisi prima coagente per se ad idem. Et id latius explicat in secundo articulo, ad argumenta contra secundam conclusionem, in principio, et ad septimum expresse dicit quod causa secunda non ita pendet in agendo a prima, ut prius natura recipiat aliquem motum ab illa, sed solum quia per se non sufficit ad agendum sine cooperatione primæ causæ. Et ad octavum ait: *Influentia primæ causæ non intelligitur esse aliqua forma procedens noviter a causa prima in secundam, etc.*

12. *Marsilius*. — Undecimo, Marsilius, in 1, quæst. 45, art. 2, post quartam conclusionem incidens dubium proponit, an Deus voluntate

beneplaciti voluerit Evam eligere comedere de ligno scientiæ; et respondet voluisse Deum voluntate beneplaciti actum illum voluntatis Evæ quoad substantiam actus: *Dum tamen (ait) mulier cum vellet, quod exponit: Quia in potentiis liberis Deus ut causa universalis agit cum eis, ita ut quoscumque potentia duxerint eligendos, Dominus coagat tanquam causa universalis*. Ubi ex vi concursus nullam præventionem ponit ex parte Dei, solumque requirit simultaneam cooperationem Dei, et hanc dicit procedere a voluntate beneplaciti Dei non omnino absoluta, sed sub conditione: *Si causa libera cooperari voluerit*: imo quoad actus malos in aliud extremum inclinat, dicens voluntatem hominis quoad modum prævenire voluntatem Dei, quia, cum tales actus sint contra voluntatem Dei, illos voluntas divina non produceret, nisi præventa aliquo modo per voluntatem creatam libere se determinantem. Et ita concludit voluisse Deum volitionem illam Evæ, *si Eva ad illam se libere determinaret, et quasi libere (ait) Deum ad secum producendum præveniret*. Sed fideliter hujus auctoris sententiam referimus: nam per illud verbum satis declaravit, quam longe esset a prævia motione ex parte Dei, vel voluntatis ejus approbanda.

13. *Conradus*. — Duodecimo, pro eadem sententia referimus Conradum 1. 2, quæst. 79, art. 1, in expositione corporis articuli, § *Nota ipsam*; ibi enim occasione explicandi concursus Dei ad actionem peccati, quoad substantiam ejus, generaliter advertit concursus generalem non esse ita concipiendum, *ac si prima causa in aliquo instanti attingat effectum, et operationem causæ secundæ in seipsa, quasi habeat unam actionem præviam actioni creaturæ, seu voluntati peccantis*. Ille enim (inquit) *sensus falsus est; non enim, cum aliquis vult, oportet, antequam velit, præcedere motionem Dei, loquendo de naturali voluntate*. Et infra: *Sensus autem verus est, quod secunda causa non producit, nisi in virtute primæ, quæ secundam conjungit suo effectui, et intimius attingit effectum, quam secunda*. Modum autem declarat addens: *Sed cooperando intrinsece secundum modum naturæ causæ secundæ. Unde attingit operationem voluntatis modificatam, juxta conditionem voluntatis*. Negat ergo præmotionem in ipsam voluntatem, solumque admittit cooperationem ejusdemmodi operationis voluntatis; quod iterum atque iterum repetit, et infra circa actum peccati addit dictionem exclusivam, dicens: *Solum habet motionem*

cooperativam, et prius attingit cooperando, quia intimius attingit, quod prius infra dicit esse tantum prius perfectione.

14. *Cajetanus*. — Decimo-tertio, allegamus Cajetan., 1 part., quæst. 14, art. 13, circa ad 1, § *Nec sustinendus*, ubi negat præviam motionem Dei in voluntatem liberam, et hac ratione defendit contra Scotum quod, licet Deus ageret necessitate naturæ, et ita concurreret cum voluntate libera, actus voluntatis creatæ posset esse contingens. Unde cum Scotus argumentetur, quia causa, quæ movet in quantum mota, si necessario movetur necessario movet, respondet Cajetanus illam propositionem posse intelligi, vel de motione prævia, vel de motione cooperante intrinsece ad propriam actionem, et in priori sensu admitti posse propositionem, non autem in posteriori, quia *causa cooperans intrinsece cooperatur unicuique secundum modum ejus cui cooperatur*. Et adjungit: *Talis autem est cooperatio primæ causæ, de qua scriptum est: Attingit a fine usque ad finem, et disponens omnia suaviter*; ubi aperte in divino concursu admittit cooperationem, et negat præviam motionem, alias argumento non responderet, nec applicaret distinctionem, quam præmittit. Et eandem doctrinam habet eadem prima parte, quæst. 19, art. 8, in fine, ubi respondet eidem Scoto expressius negando præviam motionem, sic enim ait: *Non enim oportet cum aliquis vult aliquid, seu cum sol illuminat, primam causam prævia motione cooperari; sed sufficit et cogitur eam intrinsece cooperari tali electioni, vel illuminationi.*

15. *Ejusdem Cajetani mens explicatur amplius*. — Hæc ergo sententia et doctrina adeo est constans apud Cajetanum, ut verisimile non sit in locis citatis capit. 27 sensisse contrarium, cum nec id expriment, nec adeo sint distincta, ut credendum sit per oblivionem contraria docuisse. Potius ergo ex illis locis inter se collatis colligendum est (quod de Capreolo etiam intelligatur) intellexisse Cajetanum ad veritatem omnium locutionum D. Thomæ in hac materia, et ad explicandos varios modos, quibus dicere solet causam primam juvare secundam, sufficere influentiam Dei in ipsam causam secundam, qua illi det esse, virtutemque nativam, seu permanentem ad operandum, et concursus simultaneum, quo in ejus effectum influit, quod an ita sit, postea examinabimus.

16. *Quid ex relatis auctoribus colligatur*. — Hos auctores adeo fuse retuli imprimis, ut de sensu eorum dubitari non possit; deinde, quia

ex verbis eorum plures rationes ad eandem sententiam confirmandam desumi possunt. Item, quia obiter indicant quomodo intelligendæ sint variæ locutiones in hac materia, quæ prioritatem, in causando, causæ primæ etiam ut concurrenti cum secunda attribuunt. Præterea necessarium judicavi dictos auctores distincte recensere, quoniam ad elevandam hujus sententiæ auctoritatem, quidam vir doctus, illam referens, dixit eam antiquo tempore tenuisse quosdam Theologos, et cum jam esset antiquata, et veluti extincta, modo juniores Theologos illam suscitasse; nominat autem Molinam, Vasquez et Suarez. Ex his autem quæ adduximus, evidenter lectori constabit testes hujus assertionis non integre nec sincere fuisse productos. Qui enim audit quosdam Theologos, et antiquo tempore, facile cogitabit ante plura sæcula paucos et ignobiles Theologos illam sententiam docuisse; postea vero longe plures et doctiores illam sua auctoritate obruisse et sepelisse. Utrumque autem horum falsum esse ostenditur aperte, quia non aliqui, sed omnes, vel fere omnes antiqui Theologi illam sententiam docuerunt. Nam plures eorum allegavimus, et alii vel inciderunt in errorem extreme contrarium, negando etiam simultaneum concursus primæ causæ, ut Aureolus, Durandus, et similes, quos propterea merito omittimus; vel tantum simultaneum concursus concesserunt, et tacite alium excluserunt, quos etiam omittimus, quia non ita expresse locuti sunt. Et omnes etiam qui specialiter in actione peccati negant Deum dare prævium concursus, hanc sententiam aperte supponunt; illos vero infra addemus. Solum nobis superest D. Thomas, sed illius mentem in sequentia capita expendendam reservavimus. Nunc satis esse censemus, tres præcipuos illius defensores et expositores ita illum intellexisse; non ergo quidam Theologi, sed fere omnes ita senserunt.

17. *Ea sententia nunquam fuit antiquata*. — Deinde non antiquo tempore, sed usque ad nostra tempora illam sententiam docuerunt; ergo nunquam antiquata fuit, alioqui designent vel personas, vel tempora, vel loca, seu Academies quæ doctrinam illam aboleverint aut repudiaverint. Assumptum patet ex dictis, tum quia Cajetanus certe non multum nostra tempora antecessit; tum etiam quia, post Cajetanum, ante et post illos tres modernos, multi alii Theologi in variis regionibus illam doctrinam approbarunt: ut Ruardus, artic. 7, proposito 10 de Concordia gratiæ et liber. arbitr.,

ubi allegat Gregorium, Gabriel., Novocastr. et Cajetanum, eorumque sententiam non ut antiquatam excitat, sed ut veram, et suam auctoritatem retinentem amplectitur. Corduba etiam, lib. 1 Quæstionar., quæst. 55, dub. 4, § *Ad supradictas*, cum Lycheto in 1, distinct. 8, quæst. 4, circa finem, et disput. 39, quæst. 1, § *Has tamen*, aperte supponunt hanc sententiam, nam ad defendendam sententiam Scoti de radice contingentia, contra Cajetanum, dicunt nunc de facto causam primam non prævenire causas secundas in agendo, vel movendo illas, quia voluntati liberæ suum concursum accommodat, quod facere non posset si ex necessitate naturæ ageret. Ex qua doctrina solum nunc sumimus quod ad controversiam præsentem pertinet, quidquid sit de alia hypothetica quæstione, si Deus ex necessitate naturæ ageret, quid sequeretur in actionibus causarum secundarum. Occasione vero illius nonnullas rationes adducit Lychetus, quæ validæ profecto sunt ad impugnandum illum prævium influxum causæ primæ in secundam, sed virtute a nobis tactæ sunt in superioribus. Item Bellarminus, lib. 4 de Grat. et liber. arbitr., cap. 15, hanc sententiam sub probabilitate defendit; imo etiam Cumel, unus ex præcipuis defensoribus auxilii prædeterminantis gratiæ, cum de concursu ad actiones malas agit, negat concursum prævium, seu præmoventem voluntatem ad actum peccati, etiam pro materiali, et consequenter negat illam præmotionem pertinere ad concursum primæ causæ, generatim et quasi essentialiter necessarium, 1 part., quæst. 22, art. 4, in Appendice, conclus. 5. Idemque postea constanter secutus est P. Lorca 1. 2, quæst. 79, disput. 38, et quæst. 111, art. 3, disput. 20, membr. 1, ubi de priori sententia affirmat a temporibus Magistri Soto incœpisse, et ab ejus successoribus in eadem schola clarius explicatam et acriter propugnatam esse, non tamen credit satis id fuisse ad contrariam communem sententiam antiquandam, vel a Theologorum scholis relegandam.

18. *Hinc colligitur male notari hanc sententiam.* — Unde tandem concluditur excessisse valde auctorem illum, qui hanc sententiam improbabilem appellavit, et priorem dixit esse certissimam. Nam imprimis opinionem quam tot graves Theologi docent, nullus, qui eos legerit et intellexerit, jure potest vocare improbabilem, cum probabile sit quod pluribus sapientibus verum videtur. Deinde opinio tam communi consensu omnium Theologorum pro-

bata, non potest optimis et efficacibus rationibus destitui; quomodo ergo contraria sententia potest esse certissima? Denique non potest dici certum, et contrarium improbabile, quod nec fides docet, nec efficaci ratione probatur, aut tanto pondere humanæ auctoritatis astruitur, ut illi se opponere temerarium vel saltem improbabile judicetur. In hoc autem puncto nihil hactenus fides docuit, ut est certum, nec tantæ auctoritatis pondere contraria sententia confirmata est, ut ex his quæ cap. 27 fideliter allegavimus constat. Et res ipsa adeo abstrusa est et intricata, ut vix explicetur a suis defensoribus, ut in capitibus præcedentibus vidimus. Quomodo ergo rationes ejus possunt tantam certitudinem efficere? Abstrahendo ergo a censuris et exaggerationibus, quid de hac re tota judicemus, per partes in capitibus sequentibus explicabimus.

CAPUT XXXVI.

INFLUXUM PRÆVIUM PRIMÆ CAUSÆ IN SECUNDAM, NON ESSE PER SE NECESSARIUM AD ACTIONES PROPRIAS NATURALIUM AGENTIUM.

1. *Assertio.* — *Hic influxus non est necessarius in causis naturalibus.* — Distinguiamus causas secundas, in eas quæ ex necessitate naturæ, et eas quæ libere agunt, quoniam in prioribus facilius potest res expediri, et ab illis causis commodius et distinctius ad cæteras transitum faciemus. Dicimus ergo his causis naturalibus, quæ in suo genere habent intrinsicam vim sufficientem agendi, non dari prævium influxum primæ causæ, sed simultaneum tantum, eumque sufficere ut actu operentur. Ad cujus assertionis probationem, ex sententia omnium recte sentientium, etiam adversariorum, non oportet probare talem influxum esse impossibilem, quia hoc nunc non asserimus, nec divinam potentiam absolutam nunc contemplamur, sed prout juxta exigentiam et indigentiam causarum secundarum eas ad operandum adjuvat; ideoque si ostenderimus hujusmodi influxum non esse necessarium, inde sufficienter concludemus non esse, neque dari, quia nihil est frustra, et sine ratione asserendum in his quæ a Deo fiunt, neque enim a Deo quidquam temere atque incassum factum est, ut recte dixit Nazianzenus, oratione 33, quæ est secunda de Theologia.

2. *Probatur ex natura horum agentium.* — Probatur ergo assertio, quia hæ causæ naturaliter agentes non indigent nova virtute agendi illis addita, ut suas efficiant actiones;

ergo neque indigent novo influxu primæ causæ in ipsis recepto. Antecedens admittunt adversarii, imo pro illo pugnant, ut infra videbimus, et merito, quia ipsæ causæ secundæ sunt causæ principales in suo genere, et non producunt aliquid excedens perfectionem ipsarum, de his enim tractamus. Consequentia vero probatur, quia ille influxus solum potest esse necessarius propter virtutem aliquam agendi, quæ per illum ipsi causæ secundæ conferatur; ergo si ad hunc finem necessarius non est, omnino est superfluous, nam ex parte Dei non est necessarius ut illi per modum instrumenti inserviat: nam cum Deus ipse ejusque increata virtus, et causæ secundæ et illius effectui intime adsit, et per se efficacissima sit ad suum concursum simultaneum præstandum, non indiget prævia virtute creata per quam agat, ut supra etiam c. 33, ostensum est.

3. *Nulla causa hujus necessitatis affertur.* — Et ex ibi dictis potest hæc ratio ampliari et corroborari, quæ repetere necessarium non est, sed insinuare; quia vel illa motio prævia est necessaria ex parte actus secundi, seu actionis causæ secundæ, vel ex parte principii: primum dici non potest juxta contrariam sententiam, nam quod est prævium ad actum secundum, quodque non fit a causa secunda, sed in ea tantum recipitur, non est pertinens ad actum secundum, nec ex parte illius se tenet. Et ideo Scotus, Gabriel et alii, qui concursum simultaneum agnoscunt, recte et consequenter dicunt concursum Dei se tenere ex parte effectus, non ex parte causæ, ut Bellarminus supra notavit; at qui ponunt concursum prævium, non possunt illi consequenter attribuire quod se tenet ex parte effectus, seu actus secundi, cum prius natura, ac subinde principium, et causam actus secundi illum esse definiant, ut late dicto cap. 33 deductum est. Neque etiam potest esse necessarius ille concursus ex parte principii, quia vel est necessarius ut principium per se, vel ut sola conditio sine qua non. Prior pars impugnata jam est, quia neque ex parte causæ secundæ, neque ex parte primæ causæ est necessaria nova virtus creata, nec additio vel complementum ejus, nec etiam instrumentalis virtus ad agendum. Posterior item pars in cap. 33 probata est, et in lib. 1 de Auxiliis, ubi, discurrendo per omnes modos quibus illa conditio cogitari aut explicari potest, ostendimus frustra postulari.

4. *Idem amplius ostenditur.* — Et declaratur breviter, quia in his causis non est necessaria nova motio, quasi propter seipsam, ut

ita dicam, quia si non confert aliquam utilitatem ad agendum, impertinens est, nec invenietur in rebus naturalibus aut causis motus aliquis a natura datus propter seipsum, sed propter aliquem terminum, neque etiam invenietur motus aliquis a natura datus tanquam prævius ad agendum, nisi quia *terminus ejus aliquando confert ad actionem, vel per modum virtutis agendi, vel ut passum sit propinquius, et intra spheram agentis, vel per modum remotionis impediendi.* Unde ulterius non potest hæc præmotio his agentibus esse necessaria, quin in termino ejus habeant aliquam conditionem utilem ad agendum, quam antea non haberent. Sed per illam motionem non tolluntur aliqua impedimenta, frequenter enim nulla præcedunt, et id in disputatione supponitur, quia per se loquimur, impedimenta autem sunt per accidens. Nec causæ secundæ per illam motionem vel terminum ejus magis applicantur quam antea essent, quia non fiunt propinquiora passis, vel objectis, aut materiis circa quas operaturæ sunt, et præter hanc applicationem nulla alia cogitari potest prævia ad actionem, ut supra etiam probavi; quia intimior applicatio ad actionem non est aliquid distinctum ab ipsa actione. Denique in his etiam agentibus non requiritur determinatio prævia, et quasi in actu primo, quia illa sunt natura sua determinata ad unum, nec majori determinatione indigent, imo vix cogitari potest alia quæ natura præcedat actionem; illa enim determinatio actualis, quæ sub actione considerari potest, non est aliquid prævium, sed per ipsammet actionem fit; ergo, propter nullam conditionem sine qua non, potest illa motio in his agentibus verisimiliter postulari.

5. *Replica rejicitur.* — Solum dicere posset aliquis hæc agentia natura sua non esse determinata ad individuas actiones, vel effectus, ideoque in omni opportunitate agendi, et positus omnibus prærequisitis, causam de se indifferentem esse ad producendam, verbi gratia, hanc calefactionem, illuminationem, aut visionem potius quam illam, et ideo indigere prævia motione Dei, ut saltem ad individuum determinetur. Vel e contrario dicere quis potest concursum causæ primæ esse de se indifferentem, non solum ad individua, sed etiam ad species et genera actionum, ac proinde determinari debere a causa secunda, et ad hoc necessarium esse ut prius recipiatur in illa, quia unumquodque recipitur et determinatur juxta modum recipientis. Verumtamen propter neutram ex his determinationibus necessarius est